autor Conringius Herm

Brevis ac præliminaris

Enumeratio CAUSARUM,

ob qvas

SERENISSIMUS ET POTENTISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS,

Dn. CAROLUS GUSTAVUS,

Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, &c.

coactus est

Regem Poloniæ

bello adoriri.

STETINI apud JOH. VALENT. RHETIUM, S. R. Mtis. typographum. Anno MDCLV.

VEtus verbũ eſt: Furor ſit læſa ſæpius patientia. Qvod autem non patientia duntaxat Svecorum, verum etiam ipſa pactorum religio à parte Polonorum multis modis læſa & violata ſit, deniq; neceſſitate adactam eſſe Sac. Reg. Majeſtatem ad capienda adverſus Regem Poloniæ arma, antevertendaq́; ea mala, qvæ ſibi à dicto Rege jamjam imminere vidit; id ſeqventibus comprobabitur.

Nam etſi pactis Stumdorfienſibus ſancitum eſt, ut Reges Regnumq́; Poloniæ omni hoſtilitate abſtineant, durantibus induciis, adverſus Reges Regnumq; Sveciæ, eisq; mediate vel immediate ſubjectas Provincias, caſtra, civitates ac territoria, nec qvidqvam per ſe moliantur ac tentent, tentarive faciant, in horum detrimentum aut præjudicium; tantum tamen abeſt, ut credi poſſit, BOTIUM cum militaribus copiis, inſcio & invito Rege Poloniæ ULADISLAO QVARTO, tot Provincias & Ducatus dicti Regni pervadere potuiſſe, ad infeſtandam armis Livoniam: qvin potius certis documentis conſtat, inſtigaſſe Re-

gem

gem Poloniæ eundem BOTIUM, *ut illam expeditionem susciperet. Qvod antememorati* BOTII *institutum etsi effectu suo in aliqvibus caruit; plurimum tamen mali inopina illius irruptio subditis Regni Sveciæ ibi locorum attulit: nam multi, pactorum religioni fidentes, trucidati, bona eorum direpta & spoliata, magnusq; metus illi provinciæ illatus. Ac licet ea de re per literas qvesti sint Senatores Regni Sveciæ apud Senatores* Reip. *Polonæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ, nihil tamen solatii retulere; ut argumento sit, hoc non tantum scientibus, verum etiam impellentibus Polonis accidisse: proinde nec à veritate alienum est, habuisse tum temporis Lithuanos exercitum ad manus, qvo recuperarent Livoniam, exercitu & præsidiis tunc destitutam, si propositum* BOTII *ex voto successisset; ad minimum illius facti authores merito censentur, qvod, ubi voluissent, impedire potuissent.*

Par etiam ratio irruptionis CROCKOVII *in Pomeraniam fuit, qvæ à parte Polona averti potuisset, nisi res Svecorum in Germania turbatas, eamq; provinciam, proximum rebus afflictis perfugium, devastatam voluissent. Nec satis fuit Polonis,* CROCKOVIO *transitum indulsisse: verum etiam ex Putcensi*

forta-

fortalitio, aliisq; in Borussia locis, auxilia & tormenta eidem submissa. Et nisi hostiles illæ copiæ ope Comitis KÖNIGSMARKII, *tum temporis Generalis vigilum Præfecti, ejectæ fuissent, eam provinciam, ut & adjunctam illi provinciæ maris Balthici oram, in summum discrimen adduxissent. Et, si culpa vacare voluissent Poloni, utiq; petentibus Svecis, ut reditus* CROCKOVIO *per Poloniam prohiberetur, vel ut eundem perseqvi sibi liceret, haud facile denegassent, manifesto tum hostili erga Sveciam animo.*

Qvibus machinationibus Oeselia Insula, qvæ postremo cum Rege Daniæ bello, factaq; ad Bromsebroam pace, Regno Sveciæ cessit, à Rege Poloniæ ULADISLAO *sit tentata, qvamve cessionem illius Insulæ impedire sit conatus, Ejusdem ad Ordines Oeselanos literæ ac diploma, Cubiculario suo* BERGIO *traditum, qvo eos ad defectionem sollicitaverat, satis superq; commonstrant. Nam tametsi nihil unqvàm juris sigillatim in antememoratam Insulam, toto illo tempore, qvo sub ditione Regis Daniæ fuit, prætendit, atq; cessisse eandem Regi ac Regno Sveciæ, certis cum Rege & Regno Daniæ pactis, scivit, Christianissimo Galliarum Rege & Dominis Ordinibus Generalibus*

Fæde-

Fæderati Belgii mediationis officia præstantibus, non destitit tamen hostilem in Svecos animum re ipsa testatum facere, & fortasse nec spe sua frustratus fuisset tam recenti mutatione imperii, nisi provida Gubernatoris Svecici cura hanc Poloniæ Regis machinationem intervertisset.

Adhæc tentatam fuisse fidem subditorum Regni Sveciæ in Livonia, haud incertis testimoniis constat; qvi etsi in officio permanserunt, non potuit tamen Rex Poloniæ violatorum pactorum culpa carere.

Nec defuere cum Rege Daniæ CHRISTIANO QVARTO, *tum temporis alieniore, ut &* ARNHEIMIO *&* BAUDISIO *molitiones in perniciem Sveciæ, qvæ singula recensere longum foret, & à proposito nobis compendio alienum.*

Hæc tempore ULADISLAI QVARTI *patrata; nunc ad ea tempora, qvibus fratris sui successor, Rex* JOHANNES CASIMIRUS, *Poloniæ rebus præfuit, deveniendum. Etenim constitutum sibi habuit Serenissima & Potentissima Svecorum Regina, Domina* CHRISTINA, *cum Principibus Regni Poloniæ sinceram amicitiam colere, utpote tam propinqvo sangvine sibi junctis, & qvod satis longinqvi temporis induciæ*

spem

ſpem facere viderentur, conſopiri aliqvando poſſe mutuas utrorumq; Regnorum controverſias, ſtabilemq; necesſitudinem, inter Principes tam arcto ſangvinis nexu devinctos, reduci. Eoq; rogatu dictorum Principum, videlicet JOHANNIS CASIMIRI *&* CAROLI FERDINANDI, *Fratrum, haud gravate commendatione ſua apud Senatores Ordinesq; Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithvaniæ intercesſit, ut in electione novi Regis, præcipue dictorum Principum rationem habere vellent. Addidit etiam deinceps hoc ſingulare affectus ſui erga modernum Poloniæ Regem documentum, ut illius cauſam reip. ſigillatim commendaret, anniteretur q; omni modo, ut antememoratus Rex voti ſui compos fieri posſet. Qvod Reginæ ſtudium etſi proſper & voti dicti Regis congruens eventus conſecutus eſt; Eum tamen nihilo mitiorem ſe præbuiſſe, & ad æternam cum Regina Sveciæ pacem propenſiorem, ſeqventibus probabitur.*

Initia inſignis illius amicitiæ, qvæ tum promittebatur, hæc fuere, ut in commercio literarum cum Regina Sveciæ latina lingva uti noluerit, nullam aliam ob cauſam, qvam ut hocce modo devitaret eam titulorũ rationem, qvæ pactis induciarum eſt expresſa, titulumq;

lumq; Sveciæ Regibus adstruit, Poloniæ vero Regibus derogat; id unice agens, ut hac via ipsum pactorum fundamentum convelleret.

Deinde insudasse Regem Poloniæ indigitatæ superius defectioni subditorum Svecicorum in Livonia, & Rigæ capiendæ consilia agitasse, certo certius liqvet.

Adhæc Cosackorum gentem à Rege Poloniæ sæpius invitatam fuisse, ut in Livoniam irrumperet, resq; Svecorum ibi locorum turbaret, haud levibus indiciis compertum habet Sacra Regia Majestas. Ita infesto Regis Poloniæ erga Svecos animo, nihil defuit, nisi ut pessime cogitata adversum innoxios & pactorum observantes (qvos nec unqvam fractæ pacis causa gens Polona culpare potuit) exeqvi non potis fuerit, sic disponente Divini Numinis justitia.

Sunt & multa alia coutra pacta, fidemq; publicam, subditosq; Sac. Reg. Majestatis factitata, qvæ uberiori causarum declarationi ex ipsis actis deducendæ relinqvuntur. Et potuissent hæc fortasse aliqvanto diutius inulta tolerari: Verum ex qvo Sveciam Rex & Respub. Polona, ostentatione perpetuæ pacis, toties ludificavit, & interim crebris internunciorum missitationibus; interim binis Lubecæ inter utriusq; partis

Com-

Commissarios congressibus, fucum Svecis fecit, non esse se à perpetua pace alienum, nullo alio fine, qvam ut tempus traheret, nocendi facultatem captaret, varios in Regnum Sveciæ hostes concitaret, occasionemq́ Svecis adimeret finiendæ gravissimæ illius controversiæ, qvæ utraq; hæc regna maxima bellorum calamitate per multos annos afflixit; necessitatem S. R. M.ti Regnoq́ Sveciæ dictus Rex imposuit inferendi belli. Nam ut cætera omittantur, hæc, qvæ obiter dicenda sunt, docere possunt, qvam parum animi Regi Regnoq́ Poloniæ ad pacem perpetuam fuerit.

Qvippe primo congressu Lubecensi Commissarii Polonici plurimis vitiis refertas Plenipotentias adduxerunt, ubi titulum S. R. Mtis. Sveciæ sibi arrogavit Poloniæ Rex; subruto hocce modo ipso pactorum fundamento. Ac licet antenominati Commissarii, agnito errore suo, fidem Legato Gallico fecerint, habituros Commissarios Sveciæ intra trium vel qvatuor hebdomadarum spatium alias & emendatas plenipotentias, atq; Commissarii Svecici eâ spe Lubecæ tamdiu præstolati essent; nullæ tamen advenere, conjectâ in semetipsos culpâ, qvod Regem suum à tam præjudiciosa sibi, ut putabant, mutatione alienum, ea de re compellare non sint ausi. B *Se-*

Secundo Lubecensi congressu, hoc præter alia in mora fuit, qvod sigillo Plenipotentiæ Regis Poloniæ insignia Regni Sveciæ essent impressa, contrà qvàm pactis congruens erat, & alias observatum fuisse, testimonio Magni tum Cancellarii Regni Poloniæ ZADZICKII, *Principis ea tempestate Legationis Polonicæ, Legatorumq; Angliæ & fæderati Belgii, satis superq; constabat. Et licet etiam hacce vice Commissarii Svecici testati sint, velle se emendatam Plenipotentiam, ubi haberi posset, expectare; nihilo tamen magis, res æqvissima, à Polonis, annitentibus Mediatoribus, potuit impetrari. Ita ut hæc potissima cura Regi Poloniæ fuerit, qvo tempus falleret, atq; tanta præliminarium mora objecta Svecos impediret, qvo minus ad Tractatum ipsum devenire possent, adeoq; de violatione pactorum qveri & satisfactionem exposcere.*

Hisce & id accedit, qvod qvamvis CANASIHLII *in Sveciam missu, indicaverit Rex Poloniæ, velle se Legatos suos Reiq; Pub. Polonæ ad S. R. M.tem ablegare, qvi tractatum de perpetua pace coram sua M.te auspicarentur, absolverentq;, atq; in id consenserit S. R. M.tas, ea tamen lege, ut Legati Polonici properè accederent, licet non obligata fuisset Sac. Reg. M.tas ad resumendos tractatus, cum semel atq; iterum frustra*

tentati fuisſent; nihilo tamen magis Legati condicto tempore acceſſere, ſed illorum loco internuntius qvidam, JOHANNES MORSTEINIUS appellatus, qvi nullas ad tractandũ, ſtatuendumq; de pace perpetua, plenipotentias adduxit, verùm literas tantum fidei à Rege, id præjudicii involventes, ut ſub annis Regnorum ſuorum (cum unum tantum habeat, videlicet Poloniæ regnum) ad calcem literarum annotatis, innueret, ſe eſſe Sveciæ Regem, titulumq; illius Regni, qvem in fronte literarum S. R. M.ti ex pactorum præſcripto tribuisſet, eſſe fruſtraneum & inanem; ut ſilentio transeatur, omisſam unam & cæterationem in titulo S. R. M.tis, qvæ paritati inter utrosq; Reges ex pactorum præſcripto obſervandæ derogaret.

Sed qvod inter præcipua cenſeri merito debet, ne qvidqvam intactũ relinqveret Rex Poloniæ, qvo jugulũ ſtatus Svetici peti posſet, peregrinas etiam claſſes in mare Balthicum non ita pridem inducere eſt conatus, fœderaq; cum variis Principibus, populisq; qvi dictũ Mare accolunt ac freqventant, inire, S. R. M.te ſolâ excluſa; ut luce meridiana clarius ſit, dictas claſſes adverſus S. R. M.tem Regnumq; Sveciæ fuiſſe deſtinatas; cum tamen Pactis Stumsdorffienſibus ſtatutũ ſit, ne Reges aut Reſ-

 publ.

publ. Polona adversus Reges, Regnumq; Sveciæ, subjectasq; ditiones ac Provincias, classe ulla maritima, navibusq; utantur, durantibus Induciis; indicantibus hoc etiam Regis GUSTAVI Magni cum urbe Dantiscana pactis, Ducumq; Borussiæ & Curlandiæ cautionibus. Deinde, nulla tali classe, hoc præsertim tempore, opus habuit Rex Poloniæ, cum Mare Balthicum à turbamentis sit immune, nec à qvopiam libertas ejusdem commerciorumq; infestetur; ita ut illi potissimum rei intentus fuerit antememoratus Rex, qvo tutelam sæpe dicti maris, ab antiqvo Regum Sveciæ peculiarem, turbaret, illudq; S. R. M.ti iisq;, qvorum salus in ejusdem commerciorum libertate sita est, infestum redderet, & inita cum aliis societate, hoc pacto inter S. R. M.tem amicosq; suos diffidentiam excitaret, eosdemq́; ab invicem sejungeret, complures S. R. M.ti Regnoq́; Sveciæ ea ratione inimicos parando.

Cumq; non dubitet S. R. M.tas, qvin Rex Poloniæ, apud imperitos rerum & ignaros, actiones S. R. M.tis sit traducturus, vel pactorum obtentu vel aliis rationibus: videlicet primò: debuisse controversias exortas, per Commissarios utriusq; gentis, ad fines Livoniæ sopiri, decidiq;. Secundo: Licet Tractatus pacis prpetuæ semel

mel iterumq; non successisset, firmas nihilominus & inviolabiles manere debuisse inducias, ad exitum Pactorum. Tertio: Supradicta hæc verba semel iterumq;, non pro binis vicibus accipi debere, sed pro pluries repetitis; eòq; ad tractatus, non ad arma descendi oportere. Contra primũ hoc reponi potest: per Commissarios ad fines Livoniæ nihilo plus obtineri potuisse, qvam per binos Lubecæ solennes conventus; deinde, qvæ spes fuisset decisionis controversiarum per Commissarios ad dictos Livoniæ fines, ubi ne præliminaria qvidem iterato Lubecæ congressu, annitentibus etiam Mediatorum Legatis, pertractari potuere? Ad secundum: Cum nihil præsidii in pactis habuerit S. R. M.tas, qvippe toties à Rege Poloniæ violatis, ad arma decurrere necessum eidem fuit. Ad hæc ea etiam est Contractuum & pactorum ratio, ut, cum mutua stent obligatione, altera partium non teneri se ulterius pactis putet, ubi ab alterutra violata sunt; nec sine maximo detrimento S. R. M.tis Regniq; Sveciæ expectari pactorum exitus potuisset, tam freqventibus & exitialibus Regis Poloniæ machinationibus. Tertio, ut pluries, qvam bis, Commissarii utriusq; partis convenirent, contra sensum est pactorum, qvæ necessitatem qvandam partibus hoc ipso impone-

re voluerunt absolvendi negotii, ne irritus & repetitus sæpissime congressus, mentes exacerbaret, & partes omnium gentium ludibrio exponeret, maximarumq́ impensarum causa esset. Eo tamen se adduci passa est S. R. M^tas, ut pro suo ad pacem perpetuam studio, consenserit in tractatus stabilis & duraturæ amicitiæ, ea conditione, ut Legati Polonici pro spe à CANASIHLIO *facta nulla interposita mora advenirent.*

Ex hisce omnibus orbi Christiano liqvido constare potest, qvam justum S. R. M.^tis contra Regem Poloniæ bellum, qvamve necessarium sit, ad antevertendas perniciosas sæpe dicti regis Poloniæ machinationes. Proinde S. R. M.^tas non tantum coram orbe Christiano excusatam se fore confidit: verum etiam has rationes omnibus iis, qvi hæc introspicient, etiam subditis Reipubl. Polonæ, harum machinationum ignaris, probari posse.